Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars II.

Wien, 1800 Seite 1119

Quelle:
Copyright:

lex. Axitheo vel *Euxitheo Syro*, et *Theophrasto Athen.* unde persaepe etiam *Theophrastus de Immortalitate animarum et Resurrectione corporum* inscribitur. Adjacet mihi haec Versio excusa typis *Frobenianis* 1516. 4. curante *Beato Rhenano*, qui sibi *Roma* a *Mich. Humelbergio* missam praefatur; an vero impressam, an manu scriptam, non dispicias; video enim memorari editionem *Venetam* a. 1513. procuratam ab *Aug. Justiniano* nepote *Andreoli* illius, cui *Ambrosius* Versionem suam dicarat, atque haec Dicatio ipsi editioni *Basil.* praefixa est. Repetita Editio *Genuae* ab *J. Ge. Justiniano* 1645. 4. item in *Bibl. PP. Lugd.* T. VIII. p. 650. semper *Ambrosii* nomine. At quo jure, observa.

Codex.	Editio Bas.	Biblioth. PP.
AEG. *Quo tu euxithee, uel vnde?* EVX. *Ex syria athenas nauigabam o Egipte. sed aduersa temporum ventorum vi acta nauis atque interrupta nauigatio est. & ecce secus atque institueram adsum tibi. Nilum pro eliso pharumque pro pireo intuens* &c.	AEG. *Quo tu Euxithee uel unde?* EVX. *E Syria Athenas ferebar o Aegypte, sed aduersa ui uenti acta nauis, interrupta nauigatio est. Et ecce secus atque institueram adsum tibi. Nilum pro Eleusio, Pharumque pro Pyreo intuens* &c.	AEG. *Quonam tendis, et vnde nobis ades Axithee?* AX. *A Syria quidem huc advenio, et ad Athenienses contendebam Aegypte, sed ventus sinister nauim violenter abripuit, atque interrupit navigationem. Quo fit, ut tibi nunc adsim, Nilum quidem, non autem Ilissum, Pharum non Piraeum intuens.* &c.

Versio certe *tertia* non *Ambrosii* est, sed *Joh. Vuolphii* adornata ad Codicem graecum Bibliothecae *Augustanae*, atque una cum eo edita *Tiguri* 1559. f. Hac porro, utut proba, interpretatione non contentus *Casp. Barthius* novam condidit, eamque cum textu graeco, doctisque animadversionibus emisit *Lipsiae* 1655. 4. *Typis Joh. Baueri*, e quo novum Editorem *Joh. Beyerum* effinxisse videtur *Jöcherus* in *Lex.* Haec ad Libelli historiam, cui e nostro Codice nihil adcrescit; neque enim mendis caret, nec ad umbilicum perductus est, sed abruptus in iis verbis: *Sed sane mirandum si omnia inuaserit* — vel ad extremum peccat pro *effugiat*, ut rite *Ambrosius* e gr. εἰ παντα διαφευξεται, quod est circa Libelli medium, edit. *Barth.* p. 41.

II. *fol.* 24. purpura *Incipit Epitome Libri VII. In Lactancium Feliciter.* Prave *Libri*; non enim haec Epitome Libri *Septimi Divinarum Institutionum* est, sed omnium